



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Luciano Presbytero Martyre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

DE SANCTIS MARTYRIBUS

POLYANTHO, PHILONE, CANDIDA.

VII JANUARI. **M**artyrologium S. Hieronymi VII Januarii : Et alio loco Polyanthi, Philonis, Candidæ. Erit fortassis qui ex nominum affinitate eosdem hos esse conjiciat, de quibus idem Martyrologium XIII Februarii : Et alibi Po-

liarti, Philoronis, Candidi. At plures in Martyrologiis celebrantur, non solum similibus, sed omnino iisdem appellati nominibus.

DE S. JULIANO MARTYRE IN GALLIA.

VII JANUARI. **E**gimus supra de S. Juliano Martyre Sardo. Alium hoc ipso die refert Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano, his verbis : In tractu Andegavensi natalis S. Juliani Martyris, cujus corpus in asceterio seu Prioratu S. Joannis ad Ligerim quiescit condigno

cum honore. Nihil alibi de eo reperi. Hic, an Sardus ille, a Martyrologio Romano celebretur, non divino : ab illo diversum esse hanc constat, cum utrobique corpus extet.

DE S. SENATORE EPISC. VERONENSI.

VII JANUARI. **S**enatoris Episcopi Veronensis natalem referunt hoc die Galesinius et Ferrarius, licet hic festum propter Octavam Epiphaniæ in XIX Januarii rejici testetur.

Vita ex Ferrario.

2 De eo ita scribit idem Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiae : Senator inter Sanctos Proculum et Probum Episcopatum Veronensem, Diocletiano et Maximiano Imperatoribus, administravit. Vir fuit sanctitate, doctrina, ac gravitate, ceterisque virtutibus, quæ in optimo Pontifice requiruntur, præditus. Hic gravitati facilitatem adjunxit. Cumque Ecclesiam

aliquot annos summa cum laude, et populi utilitate rexisset, tandem VII Idus Januarii ex hac vita migravit. Ejus corpus in basilica S. Stephani conditum in magno habetur honore. De corpore idem testatur Galesinius in Notis. Colitur S. Proculus Episcopus Veronensis XXIII Martii, S. Probus XII Januarii. Sed quod hic habet Ferrarius, S. Senatorem sub Diocletiano et Maximiano floruisse, id XXIII Martii in dubium revocat, contendens S. Proculum ejus decessorem sub Claudio Maximino, qui an. CCXXXV invasit Imperium, floruisse.

DE S. LUCIANO PRESBYTERO MARTYRE.

§ I. Luciani sanctitas, doctrina Catholica.

ANNO CCCXII. **C**elebratur gloriosus hic Martyr ac Doctor VII Januarii a Latinis, a Græcis nunc XV Octobris, ut ex Menologio et Menæis patet, atque Anthologia a Clemente VIII approbato; olim vero eodem quo et obiit die VII Januarii, ut liquet ex S. Chrysostomi sermone postridie Theophaniorum in illius laudem habito. De eo Usuardus : Eodem die B. Luciani, Antiochenæ Ecclesiæ Presbyteri et Martyris, qui satis clara doctrina et eloquentia, passus est Nicomediæ ob Christi confessionem in persecutione Maximini; sepultusque est Helenopoli Bithyniæ. Eadem fere de eo prædicant Bellinus de Padua, et Martyrologium Romanum, nisi quod non sub Maximino sed sub Maximiano passum volunt. Sub Maximino passum habent Beda et Ado excusi.

In quatuor partes dissectum quidam scribunt.

2 Protixius ejus elogium ab Actis, quæ infra dabimus, paululum discrepans, habet Notkerus, et mss. Adonis Martyrologia, monasteriorum S. Laurentii Leodi, et Lobienis : Et Nativitas S. Luciani Antiochenæ Ecclesiæ Presbyteri, et Martyris, viri doctissimi atque eloquentissimi, qui Nicomediæ ob confessionem Christi passus, et in quatuor partes dissectus est : quibus in singulis lapidibus ligatis, et in mare demersis, alia die Helenopoli Bithyniæ integrum corpus cum ipsis lapidibus inventum honorifice sepultum est. Quam urbem, cum prius Drepana vocaretur, in honorem ejusdem Martyris Constantinus Imperator instaurans, ex nomine matris suæ Helenopolim nuncupavit. Eadem fere mss. Laetiense, et S. Martini Tornaci ac Florarium. At mss. S. Martini Treviris, et S. Mariæ Ultrajecti : In Nicomedia Luciani Presby-

teri, qui in quatuor partes fractus, in mare demersus, integer inventus est. Meminere quoque S. Luciani hoc die vetus Martyrologium Romanum, ms. S. Hieronymi, Wandelbertus, Maurolycus, Galesinius, aliique.

3 S. Hieronymus lib. de Scripturis Ecclesiasticis cap. 77, ita S. Lucianum celebrat : Lucianus vir disertissimus, Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, tantum in Scripturarum studio laboravit, ut usque nunc quædam exemplaria Scripturarum, Lucianea nuncupentur. Feruntur ejus de fide libelli, et breves ad nonnullos epistolæ. Passus est Nicomediæ ob confessionem Christi, sub persecutione Maximini, sepultusque Helenopoli Bithyniæ. Eadem fere Honorius Augustodunensis cap. 77, sed fallitur dum Nicomediæ Episcopum fuisse scribit.

Ejus elogium ex S. Hieron.

4 Duo de S. Luciano revocari in controversiam possunt : primum, recte senserit de fide orthodoxa; alterum, quo tempore obierit. Quod ad primum attinet, quia id nostri non est instituti, singulorum Sanctorum scripta expendere, dum constat eos in Catholica fide esse mortuos, atque in cælitum numero ab Ecclesia censi, id verbo solum hic attingemus; præsertim cum id plenius acturum esse sciamus Petrum Halloix Nostrum; cui eruditissimo viro precor ut multos Deus addere annos velit. Nam quæ edidit jam de Sanctorum scriptorum Ecclesiæ Orientalis rebus gestis volumina, tum sancto illi Laetiensi Abbati Antonio Wingio mirifice probata, tum ab aliis viris eruditissimis ita laudari scio, ut negent se alium scriptorem majori legere animi voluptate; quidquid aliqui secus sentiant. Sed ad S. Lucianum revertamur.

5 Cum acerrime Sabellianorum errores confutaret Lucianus, ardore disputationis eo est proventus, ut paulo licentius

EX VARIIS.

De hæresisu-
spectus.

licentius in contrariam partem inclinasse; et cum illi personarum in Trinitate tollerent omne discrimen, ita ipse personas distinguere visus sit, ut ipsam quodammodo separaret substantiam. Quod idem S. Dionysio Alexandrino, (de quo XVII Novembris) adversus ipsum agenti Sabellium, evenerat. Et sicut Dionysio ab Episcopis Libyæ exhibitum est negotium, adeo ut causam oportuerit ad Romanum Pontificem deferri, a quo omni hæresis suspicio est absolutus; ita Lucianus eadem causa exagitatus, atque a tribus sibi invicem succedentibus Episcopis Antiochenis, ab Ecclesia quoque ejectus est. Patet id ex epistola S. Alexandri Episcopi Alexandrini, quam refert Theodoretus Hist. Eccles. lib. 1, cap. 4, ubi ista leguntur: Tum pestiferum studium Pauli Samosateni, Episcopi Antiochiæ, qui concilio omnium ubique Episcoporum atque adeo iudicio Ecclesiæ ejectus est: cujus perversæ doctrinæ Lucianus successor factus, multorum annorum spatio, hoc est, tantisper dum tres Episcopi, alius post alium, Ecclesiam illam revere, exclusus ab Ecclesia mansit. Dum vero scriptis libellis fidei suæ integritatem tueri conatur Lucianus, dolo Pancratii Sabelliani in manus venit persecutorum, et glorioso martyrio coronatus est.

Scripto se de-
fendit.Catholicus
agnitus a SS.
PP.

6 Sed neque Hieronymus, neque alius quisquam aliter de eo scripsit, quam ut de viro egregie Catholico. Ex discipulis tamen ejus quidam, ac fere antea idololatria maculati, in Arii sectam declinarunt: et suos Arius Collicianistas appellabat. Et Nicephorus Callistus lib. 9, cap. 3, tradit fidei formulam quamdam Arianismum redolentem, Luciano viro divino, et in sacris litteris supra ceteros apprime erudito falso a quibusdam adscriptam, ut amplitudine Martyris suo scripto celebritatem vendicarent. Idem refert Sozomenus lib. 3, cap. 3. Macedoniani quoque S. Luciano, ut sui erroris fautore, falso gloriabantur; ut ostendit S. Athanasius Dialogo 3, de sancta Trinitate, qui tamen idem se credere, quod Lucianus, libere profitetur; et in Synopsi sacræ Scripturæ eum, ut a Catholicorum partibus stantem, hoc illustri laudat elogio, agens de editione sacrarum voluminum, quæ lucianea appellatur: Septima, inquit, et postrema S. Luciani magni ascetæ et Martyris est, qui et ipse cum in prædictas versiones, et Hebraicos libros incidisset, et diligenter quæ vel deerant vel ultra veritatem redundabant verba, inspexisset, ac suis quæque locis correxisset; versionem hanc Christianis fratribus edidit: quæ sane post ejus certamen et martyrium ejusdem S. Luciani, quod sub Diocletiano et Maximiano tyrannis sustinuit, libro videlicet propria ipsius manu conscripto comprehensa, Nicomediæ sub Constantino Rege Magno, apud Judæos in pariete armarii calce circumlito, ubi custodia gratia posita fuerat, inventa est. De hac eadem editione Hieronymus epist. 107, quæ est Præfatio in librum Paralipomenon ad Chromatium: Nam Alexandria et Ægyptus in Septuaginta suis Hesyehium laudat auctorem: Constantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat: mediæ inter has provinciæ Palestinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos, Eusebius et Pamphilus vulgaverunt: totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat. Pertractat hæc pluribus Baronius tom. 3 Annal. ad an. cccxi, num. ii, itemque ad an. cccxviii, nu. 74, et seqq. et in Notis ad Martyrologium.

Versio Luciani.

§ II. S. Luciani Acta, tempus mortis.

Acta S. Luciani.

Acta S. Luciani ab antiquo auctore descripta, insertaque collectioni Metaphrastæ, et Latine edita a Lipomano ac Surio, germana et scriptorum perpetua memoria commendata vocat Baronius ad an. cccxi, num. 3. His ex Ruffini Historia Ecclesiast. lib. 9, cap. 6, quædam subjungemus. Nam quæ ille, Eusebium interpretans et subinde amplificans, de persecutione post inducias sex mensium Christianis ex Galerii Maximiani Armentarii

edicto indultas rursus a Galerio Maximino concitata cap. 2, et sequentibus quatuor commemorat, ea in ms. Ripatorii et ms. S. Maximini Treviris, sub titulo Actorum S. Luciani extabant; quamquam in codice Trevirensi verbis paullum a Ruffini editione discrepantia. Nos ea solum transcribemus, quæ proprie ad S. Lucianum spectant. Addeamus quæ in Græcorum Menæis et Anthologio de eo recitantur: ac demum nonnulla ex Homilia S. Joannis Chrysostomi in sanctum Martyrem Lucianum, quæ est 46, tom. 3, Operum ejus Græcolatine editorum a Frontone Ducaë Nostro.

8 De tempore martyrii ejus ista scribit Baronius in Notis ad Martyrologium: Hunc sub Maximino passum, Eusebius tunc vivens, ac gesta Martyrum scribens, testatur lib. 9, cap. 5. Id ipsum S. Hieronymus de Scriptor. Eccles. in Luciano. Errore factum videtur, ut tam Metaphrastes quam Suidas eum sub Maximiano martyrio occubuisse dicant. Ast in Annalibus id visus est revocasse Baronius, ad an. cccxi, num. 3, scribens sub Galerio Maximiano, non autem Maximino, Maximiano VIII, et Licinio Coss. passum esse, priusquam edicto lato persecutionem idem Imperator prohiberet. Idem asserit Dionysius Petavius Noster de Doctrina Temp. lib. 13. In eam sententiam inductus hic videtur, atque ipse etiam Baronius, propterea quod Eusebius lib. 8, cap. 23, recensens celebriores Martyres qui Diocletiani et Maximiani persecutione martyrii palmam adepti sunt, nondum commemorata ejusdem persecutionis inhibitione, Lucianum quoque inter eos recenset his verbis: Ex Martyribus vero Antiochenis, Lucianus ejus parociæ Presbyter, piis vitæ institutis præstantissimus, qui Nicomediæ ipso præsentate Imperatore, cæleste Christi regnum sermone primum per Apologiam, deinde rebus gestis palam prædicavit.

Passus sub
Maximino.

9 Ast ipsius quoque Maximini persecutio non alia habita est ab ea quam illi olim suscitavit, licet circa Maximiani Armentarii obitum paullulum intermissa: ut potuerit qui Maximini jussu trucidatus est, Maximiani persecutioni adscribi. Qua ratione explicare ipsi quoque coguntur, quod ex S. Athanasio supra num. 6, attulimus, qui occisum S. Lucianum scribit sub Diocletiano et Maximiano. Videtur ergo Lucianus postquam Antiochiæ recruduit persecutio sub finem anni cccxi, comprehensus. Idque facile probabitur et qui initium libri 9 Eusebianæ historiæ attente perlegerit. Ubi cum cap. 1, simulatam persecutionis remissionem narrasset; cap. 2. Theoteci fraudem; tertio nova edicta a Maximino lata; quarto conficta Pilati Acta recenset; ac quinto tandem cædes variis locis perpetratas, ac nominatim Silvani Episcopi Emeseni, Petri Alexandrini, ac Luciani commemorat. Ac de hoc quidem ista scribit Eusebius: Lucianus item Ecclesiæ Antiochenæ Presbyter, vir cum aliis rebus omnibus facile primus, tum continentia eximius, et in sacris disciplinis diu multumque exercitatus, ad civitatem Nicomediensium, in qua tum Imperator commorabatur, deductus; cum coram urbis Præfecto apologiam pro Christi doctrina, ejus patrocinium susceperat, recitasset, in carcerem coniectus est, ibique trucidatus. Tot mala et tam gravia brevi temporis spatio a Maximino (certo liquet ex antecedentibus et consequentibus, de Galerio Maximino, non de Armentario esse sermonem) virtutis et honestatis adversario, contra nos comparata erant: adeo ut hæc posterior persecutio id temporis excitata, multo acerbior, quam prior, nobis videretur. Hæc Eusebius. Quæ Baronius cum refutare non posset, ab Eusebio scripta negat, sed ab alio supposita.

Eadem perse-
cutio Maxi-
miani dicta.

10 De S. Petro Alexandrino agemus xxvi Novembr. ubi Baroni argumenta expendantur, quæ ad eum præcipe pertinent. At de Luciano manifeste probatur, non nisi sub Maximino recrudescente persecutione interfecum esse. Nam, ut etiam Petavius et Baronius fatentur, Maximini jussu conficta sunt probrosa illa Pilati Acta: atqui ea refutavit, ut infra ex Ruffino dicemus, S. Lucianus;

Acta Pilati, a
Maximino
conficta, refu-
tat Lucianus.

S. Lucianus; ergo non erat ante novam illam obortam a Maximino persecutionem sublatus e medio. Id argumentum que convelli possit, non video; nisi forte cuiuspiam veniat in mentem, hac a Rufino esse conficta, eive supposita. Qua ratione quilibet negari poterit. Nicephorus quoque Hist. Eccles. lib. 7, c. 27, disertè hæc sub Maximino gesta tradit; licet cap. 16, Eusebium secutus, cum illustres Martyres Diocletiani et Maximiani persecutione occisos recenset, Lucianum quoque iis adnumeraverit.

11 At de his satis. Agunt de S. Luciano, præter citatos citandosque in Notis, Vincentius Belvac. lib. 13, cap. 13 et 14. Petrus de Natal. corrigendus tamen, dum sub Maximiano passum scribit tempore Antherii Papæ. S. Antherus sub Julio Maximino, anno CCXXXVI occisus est, ut in Januarii diximus, S. Lucianus sub Galerio Maximino an. CCXXI cum Romæ sederet S. Melchisedes, de quo x Decembris. Meminit Luciani Marianus Victorius scholiis in Epist. 107 S. Hieronymi, Cornelius Græsius tom. 1 de vitis SS. Acta ejus Belgice edidit Heribertus Rosweydhus Noster; Italice aliquanto copiosius Gabriel Flamma; Gallice Renatus Benedictus per quam accurate. Ejus denique meminit Auctor Commentariorum in Job, quæ Origeni tribuuntur; licet vel inde pateat illius non esse quippe qui diu ante Lucianum obierit: aut certe a librario quopiam hæc adjecta sunt, et quidem (ut videtur) Latino. Hic porro, quisquis demum sit, ita scribit lib. 2 in Job circa medium: Ita consummatus est beatus atque gloriosus Lucianus, lucidus vita, lucidus et fide, lucidus etiam tolerantia consummatione. Ob hoc enim Lucianus cognominatus est, tanquam lucidus, aut proprio lumine sibi fulgens, aut aliis lucens. Hic namque Beatus duodecim diebus supra testas pollinas extensus, tertia decima die est consummatus. Quid sint testæ pollinæ, me latet. Baronius habet testas multas, veluti *εσπερα πολλὰ scriptum* esset ab auctore. Quid si testarum pollines interpretemur, sive testas pollinis instar comminutas?

12 S. Luciani in Galliam translatus esse reliquias, testatur in Martyrologio Gallicano Andreas Saussayus, ita scribens: Natalis S. Luciani Antiocheni Presbyteri et Martyris, doctrina, eloquentia, et sanctitate clarissimi, qui Nicomediæ sub Maximino Cæsare ob Christi confessionem passus, et in quatuor partes dissectus est: quibus singulis lapidibus alligatis, et in mare demersis, postredie in Helenopoli Bithyniæ integrum corpus cum ipsis lapidibus inventum est, fideliumque summa cum veneratione sepultum. At decursis aliquot inde sæculis id ex Oriente susceptum Carolus Magnus Arelatum detulit, ædificataque in ejus honorem ecclesia illic honorifice recondidit per Turpinum Archiepiscopum Remensem: qua ex re Arelati festiva hodie tanti Martyris ex avito more colitur memoria.

ACTA

AUCTORE ANONYMO EX SIMEONE

METAPHRASTE.

CAPUT I.

S. Luciani patria, virtutes, eruditio.

a S. Luciani patria, institutio:
 a Samosata est civitas Syriae, quam præterfluit Euphrates. Ea civitas fuit patria Luciani, ubi fuit honesto loco natus, ut hæc docebit, quæ de eo tractabit, oratio. Parentes ejus erant Christiani. Magnum autem studium fuit parentibus, ut Lucianum ab ineunte ætate in religione et erga Deum pietate instituerent. Ambo vero e vivis excedentes, eum relinquunt puerum duodecim annos natum. Is autem, hac sola veluti consolatione inventa, propter jacturam parentum confugit ad divinum quoddam templum, omnibus suis divitiis distributis pauperibus, et in prima ætate cum Macario, qui habitabat b Edessam,

et sacros libros interpretabatur, congressus et versatus, quidquid erat in eis pulcherrimum, paucopore collegit.

2 Et cum primum quidem accessisset ad lavacrum regenerationis, per aquam et spiritum regeneratus, declinavit ad vitam e monasticam: deinde cum ei visum esset, a vino et obsoniorum esu omnino abstinere, statim tamquam ex carceribus depugnabat adversus omnes carnis voluptates. Seipsum autem formans jejuniis, se ad hanc firmam et stabilem deduxit consuetudinem, ut nona hora semel in die comederet. Erant autem ei etiam quidam certi dierum ambitus, in quibus tota hebdomada permanebat jejunus. Plurimum autem vitæ suæ tempus impendebat precibus et lacrymis. A scurrilitate et risu tantum aberat, quantum judicabat ea esse vere ridicula. Contra autem eos qui lugebant studebat imitari, et existimabat esse dignos beatitudinibus. Silentium autem amplexus, et assiduæ deditus meditationi, videbatur semper cogitabundus et tristitia plenus iis qui ad eum accedebant, etiamsi spiritu in se perpetuo exultaret et lætatur. Si quando autem verbum ei ex ore visum esset emittere, divinæ Scripturæ erant id quod loquebatur. Tantus enim earum divinus amor ipsum ceperat, ut vix somnum vellet capere propter continuam earum meditationem. Si quando autem corpus volebat modicum requiescere, non absque intensa oratione, nec sine calidis lacrymis et genuum flexione somnum sumebat. Sed hæc quidem, dum puerilem adhuc ageret ætatem, a Sancto recte gesta sunt.

3 Postquam autem ab ea jam excessit, et cœpit esse adolescens; carnem quidem nullam cum spiritu agitantem seditionem reddidit per sancti Spiritus operationem; quibusdam autem quæ sunt ad esum valde exilia, corpus reficiebat, adeo ut multos dies solo pane vesceretur, et ne pane quidem pluribus, sed iis quæ eo erant ad alendum magis exilia. Aqua autem erat ei potus suavissimus. Nonnumquam autem abstinere etiam ab usu ignis.

4 Cumque sic pervenisset ad omnem humanam virtutem, fuit cito clarissimus omnium sui temporis. Seipsum ergo tradit Ecclesiæ Antiochenæ: et cum processisset ad Sacerdotium, constituit illic maximum d ludum litterarium, iis, qui ubique erant studiosissimi, aliunde ad ipsum accedentibus. In celeriter autem scribendo erat exercitatus, et quod ex eo acquirebat, simul quidem et sibi ad alimentum, et pauperibus suppedibat. Etenim nisi, priusquam ipse cibum sumeret, alii victus, quem manibus quærebat, essent participes, iniquum esse ducebat. Is ergo cum vidisset sacros libros esse valde adulteratos, cum et tempus multa in eis corripisset, continuæque ab aliis in alia translatio, et quidam homines sceleratissimi, qui gentilitati præerant, conati essent pervertere eorum intelligentiam; ipse omnes rursos sumpsit, et ex lingua renovavit Hebraica, quam ipsam quoque sciebat accuratissime, in eis corrigendis plurimum laboris conferens. Porro autem divinarum quoque dogmatum puritatem quis ab alio ex iis qui fuerunt illo tempore, melius quam ab ipso fuisse servatum invenerit?

a Samosata ad dextram ripam Euphratis, ubi hic ponte lapideo stratus erat, in Comagene Syriae provincia. Menologium habet ex Antiochia Syriae ortum fuisse S. Lucianum.

b Edessa urbs Mesopotamiæ, haud procul Samosatis.

c De Monachis, ritumque illos consecrandi antiquis illis temporibus, priusquam cœnobis publice constituerentur, consulti potest c. 6 Hierarchiæ Ecclesiasticæ S. Dionysii, et Balthasaris Corderii Nostri in illud Animadversio; Notatio item Petri Halloix Nostri in cap. 7, vitæ ejusdem S. Dionysii a se editæ.

d Scholas olim, præsertim sacræ catechesos, a Christianis Doctoribus aperiri solitas, constat ex Eusebio, Baronio, Petro Halloix to. 2, de vitis Scriptorum, in Pantæno, et hic num. 1, Macarii Edesseni exemplo.

EX
METAPHRASTE
AUCTORE
ANONYMO.

abstinentia:

gravitas:

silentium:

Divinorum
meditatio:

castitatis studium.

d
Antiochiæ
scholarum aperit.

Scripturam
vertit ex Hebraeo.

CAPUT

EX
METAPHRASE
AUCTORE
ANONYMO.

CAPUT II.

S. Lucianus comprehenditur. Puerorum constantia.

Cum autem Maximianus Imperator maxima quadam rabie esset percitus adversus Christi Ecclesiam, conareturque Christianum nomen delere ex hominibus, eos qui erant summi inter omnes, longissime remove re studens, de illo quidem audit, ut de quo magna fama pervaderet in omnes partes: magnum vero eum incesit desiderium illum in suam redigendi potestatem. Mittit igitur qui eum comprehenderent. Ille vero cum id rescivisset, non se sua sponte coniecit in periculum, sed diligenter cavebat, quantum in eo situm erat, ne videretur temere adire pericula, neque Ecclesiae propter se magnam afferre tristitiam. Sibi ergo cavebat pro viribus, utpote quod hoc quoque Dominus fecisset, et dixisset, et ejus discipuli similiter. E civitate itaque excedens, in agro quodam latebat. Pancratius autem quidam Antiochenus, qui Presbyteri quidem erat honorem assecutus, idem vero sentiebat quod a Sabellius, jam diu ante illius gloriae invidens, ipsum prodit iis qui querebant.

6 Et ille quidem Nicomediam ducebatur moriturus. Illic enim erat Maximianus, qui magnam et omne genus caedem faciebat eorum, qui Christum non volebant negare. Nam et b Anthimum, qui erat Episcopus ejusdem Nicomediae, interfectum igni tradidit, et c Petrum Antistem Alexandriae, et multos alios praecarios et fortes viros. Quinetiam ad tantam processit saevitiam, ut ne infantibus quidem parceret, sed ipsos quoque interimeret; quoniam nec poterat quidem eis persuadere, ut gustarent ea quae sacrificabantur demonibus. Non enim persuadebat, sed resistebant pueri, aperte corroborati a quodam, quod sub aspectum aperte non cadebat, auxilio, ad magis arguendam daemoneum, et eorum qui eis inserviunt, non solum improbitatem, sed etiam imbecillitatem: siquidem aperta erat imbecillitatis, non posse firmam ac validam suam reddere sententiam, maxime cum omnia cuperent, et omnia experirentur. Fuit autem maximum auxilium iis, qui considerate et ex iudicio decertabant, puerorum ad mortem usque fortitudo et constantia, ut qui erubescerent, si cernerentur pueris inferiores, rebus gravibus et asperis illatis, sicut illi, non resistentes. Quicumque autem rursus frangerentur periculis, iis puerorum perpressiones afferebant reprehensionem, quod non tam propter malorum gravitatem, quam propter animi mollitiem, eos victos fuisse appareret. Sic nihil timere, nec absque optima ratione neque est, neque fuit, neque unquam fuerit eorum, quae a Deo conceduntur et ejus providentia: quomodo tunc multa quidem varia et multiplicia evenerunt in pueris. Ex quibus omnibus unum narrabo, quod est maxime dignum ut mandetur memoriae. Sic enim habet:

Duo pueri recusant vesci idolothyis.

7 Maximianus cum duos quosdam pueros genere fratres, illustri loco natos, curasset sistendos; primo quidem conabatur eos quibusdam promissis inescare, quibus existimabat pueros maxime illiciendos: postea jussit eis afferri ex iis, quae erant apud ipsum, sacrificiis, et quae videntibus pueris sacrificaverat, ut et gustarent, et nullis malis afficerentur. Illis autem aversantibus, et deflentibus, et ut poterant, lingua eis balbutiente dicentibus, quod non sic didicissent a parentibus, sed alius esset modus, quo si utebantur; minatus est, ab ira mutatus, quin etiam variis eos affecit verberibus. Cum vero pueri fortiter resisterent, et nullo modo cederent, eos utique divina roborante virtute; quidam e Sophistis, qui illic aderat simul cum Imperatore, et ad haec eum maxime incitabat et inducebat, pollicitus est se statim effecturum ut ipsi comederent. Ridiculum enim esse dicebat, si

a pueris adhuc balbutientibus viderentur superari Romanorum Imperatores. Tale quid ergo machinatur: cum sinapii quamdam acutissimam et toleratu difficillimam excogitasset confectionem, eorum quidem capita pilis nudavit; cum autem medicamenti id, quod erat crassissimum, illivisset, ut ex majore materia, repentina et major simul virtus profundum penetraret, in igne accensum eos intulit balneum. Hoc in loco pueri, cum veluti quodam fulmine ieta essent eorum capita, hac ipsa hora fuerunt inclinati ad solum usque. Nec multo post cadens eorum aetate minor prior est mortuus, cum non potuisset resistere magnitudini flammæ accensae in calvaria. Cum autem alter vidisset fratrem cecidisse, quam maxima potuit voce bona verba est effatus, fratris exultans victoria, eumque amplexus est et osculatus, et eum proclamavit victorem, assidue exclamans: Frater mi vicisti: donec hoc dictum eloquens, eumque complectens et osculans, ipse quoque expiravit et jacuit, fratrem jam ulnis tenens. Accidit autem illo tempore haec perpressio maxima, et iis, qui videbant, maxime miserabilis, ipsa quidem certe aetate atrahente plurimorum animos ad misericordiam. Et eos quidem ii qui ad ipsos genere attinebant, cum sustulissent, sepelierunt cum aliis pueris, propter causae communitatem. Et hoc est martyrium circa Nicomediam, quod nominatur martyrium infantium, usque in hodiernam diem.

Dire torquentur.

Pie moriuntur.

A Sabellianis proditus comprehenditur.

Mazimiani saevitia, etiam adversus pueros.

a Sabellius tollebat personarum in sanctissima a Trinitate discernim, unde sequebatur, Patrem quoque incarnatum esse et passum: adhaec materiam ingentiam assererat. Quae fusiis tradit Baronius tom. 2, an. ccc. x. num. 61, et sequentibus.

b De S. Anthimo Episcopo Nicomediensi et Martyre agemus xxvii April.

c S. Petri Alexandrini Episcopi vitam dabimus xxvi Novemb. ubi de tempore caedis ejus agemus.

CAPUT III.

Lucianus varios convertit: conicitur in carcerem.

Cum autem Lucianus, dum duceretur, venisset in a Cappadociam, et convenisset quosdam illic milites, qui erant quidem Christiani, coacti autem fuerant abnegare; eorum mentem revocavit, ostendens et exponens, quod sit omnium turpissimum, viros eosque milites videri ignavos ac pusillanimes, et ad mortis adeundum periculum timidissimos, quibus quaedam jam femina, atque adeo pueri, fuere superiores. Quomodo autem vos, inquit, pro Rege caduco et terreno pericula adibitis, qui caelestem tam cito prodideritis? Quod autem erit vobis munimentum aut praesidium salutis, si ille vos mox hinc accersierit? Non cogitatis eum hoc universum et regere et administrare; illumque et vitae esse dispensatorem, et mortis Dominum? Est ergo longe melius, praesentem vitam minus curantes, consequi, quae apud illum numquam desinit, beatitudinem, quam vitam, quae hic est, amplectentes, ab hac nihilo secius excidere, ut qui forte sitis et hac privandi ab hostibus, et illam non assecuturi, et praeterea daturi penas puniendi immortales. Illi ergo cum haec audivissent, respuerunt, et eos penituit se negasse. Et cum rursus ad se rediissent, et libere essent locuti, b plurimi propter Christum mortem subierunt, cum essent non pauciores numero quam quadraginta; nonnulli autem cum decertassent adversus omnia genera suppliciorum, vixerunt, adhuc, cum nihil turpe et ignavum praese tulissent in secunda experientia; sed prius quoque iudicium negationis, invicta deinceps pro pietate constantia delivissent.

a S. Lucianus 40 lapsos convertit in Cappadocia;

b

9 Lucianus autem, cum in transitu itineris haec et plura hujusmodi effecisset, delatus est Nicomediam. Hujus autem viri fuere multi familiares, et ex iis nonnulli cum eo aderant decertante Nicomediae. Ex quibus aliqui cum ad eos accessissent ii, qui coegabant Christianos ritum sequi gentium, primum quidem

Alios Nicomediae.

quidem cesserunt, ut qui non possent tormentis sufficere; at cum divinus Lucianus (adhuc enim vivebat) eos ad se accersivisset, et omne genus sermonibus eorum animos correxisset, et quantum sit transgressionis periculum ostendisset, et quod nemo eorum, qui suam prodiderit in Christum confessionem, effugiet flammam gehennæ, quæ non potest extinguï; ducti pœnitentia, ab eo reducti sunt in Ecclesiam.

10 Ex iis autem, qui ad Lucianum venerant Nicomediam, erat etiam c Antoninus, discipulorum suorum dilectissimus: quo, postquam venit, usus est ministro ad scribendas epistolas, ut ipse quoque ostendit Lucianus in una epistola. Ex iis autem qui aberant, erant quidem plures viri, ex mulieribus autem Eustolia, et Dorothea, et Severa. Aiunt autem d Pelagiam quoque fuisse ex ejus discipulis, quæ Antiochiæ Syriæ vixit: quæ etiam dicitur seipsam a tecto altissimo defecisse, cum accessissent qui eam erant comprehensuri, timens ne abominandum quid per vim sustineret, (erat enim virgo) et eo modo esse mortuam: quam etiam in hodiernum usque diem honorant tanquam Martyrem, qui sunt amantes Martyrum.

11 Porro autem cum de Luciano a multis audiret Maximianus, tantam in ejus facie insidere reverentiam, ut si eum solum vidisset, veniret in periculum ne fieret Christianus; postquam jussit ut ille adduceretur, timens ne sibi tale quid accideret, velo interjecto separat sermonis congressionem, et verba procul ad eum emittebat, intermedio utens sermonis ministro. Et primum quidem pollicebatur se innumeraabilia ei esse largiturum, et rerum gerendarum habiturum eum esse consiliarium, et Patrem Imperatoriæ dignitatis, et socium sollicitudinis quæ pro summa rerum suscipitur; et plura alia hujusmodi: pro quibus omnibus unum solum dicebat se petere, nempe ut diis sacrificaret. Cum autem ille audita donorum magnitudine, quæ de eis dicebantur, nihili fecisset, et ne universum quidem mundum esse cum pietate in Deum conferendum dixisset; tunc jam mutatus Imperator, minatus est se ad supplicium ei esse intentaturum, quidquid longum tempus invenisset, et si quid ipse posset invenire novum et inauditum. Illo autem adversus hæc interritam opponente audaciam, et parato prodire in aciem, valde indignatus Imperator, eum quidem noluit quam primum tollere de medio; putabat enim se sic ei gratificaturum, ut qui eum illico liberaret a malis; sed jussit in carcerem conjectum torqueri variis modis.

a Hinc patet terrestri itinere Antiochia Nicomediam perductum esse Lucianum.

b Illi cum aliis fortasse in eadem Cappadocia passis coluntur xxiii Maii.

c Hic est, ni fallor, quem Niceph. lib. 8, c. 31, et lib. 9, c. 17. Antonium vocat, atque Tarsi Cæliæ Episcopum fuisse, et postquam cum aliis Luciani discipulis, quos recenset, tormentis victus ad Gentilitas superstitiones defecisset, Præceptore opem ad pœnitentiam ferente, iisdem remunitasse; quamvis deinde in Art. de clivaverit errores.

d Collitur S. Pelagia ix Junii.

CAPUT IV.

In tormentis moritur.

Varie torquetur.

Cum eum ergo accepissent ii, quibus hoc erat imperatum, eum multis et variis afficere cruciatibus, quibus erat quidem gravem accepturus dolorem, longo autem tempore in pœnis duraturus. Et nunc quidem in cippum (est autem hoc tormenti genus oblongum) ambos ejus pedes immittebant, ad quatuor distrahentes foramina: quod quidem est in hoc supplicio gravissimum, cum utrinque coxindices violenter et suis moveantur articulis: nunc autem in toto dorso graves testarum aculeos densos et continuos maligno animo substernebant: et ut ne liceret quidem viro justo se vertere, et ne moveri quidem, dum talibus sauciaretur aculeis; ejus manibus extensis, eas vin-

ciebant in quodam ligno, quod erat positum super ejus caput. Quin etiam aliis quoque multis eum afficiebant probris ac contumeliis, et eum etiam arcebant ab omni cibo, nisi vellet vesci iis quæ ab ipsis sacrificabantur; ea enim affatim porrigebant. Ille autem maluisset subire mortes vel innumerabiles, et lubentius manens jejunos, paullatim a fame esset consumptus, quam vel illorum solum passus esset conspectum. Sic igitur permansit Christi servus, qui a fame consumebatur, totos quatuordecim dies faciens consueta, et verbis doctrinæ animum addens iis qui pro Christo erant inclusi in carcere, et eos confirmans constantissimis et perpetuis precibus.

13 Cum autem aliquot jam dies transissent, ex quo eo modo, quo diximus, affligebatur, et jam appropinquaret quidem dies festus Theophaniorum; discipulos autem (jam enim ei plures aderant ex Antiochia, et ex aliis locis congregati) subiisset tristitia, reputantes fore, ut eis statim relictis abeat quidem magister, non valens resistere diuturnæ illi fami; ipsi autem nequaquam digni censeantur, qui Theophaniæ diem festum cum eo celebrent; videbatur enim eis esse adhuc valde remotus, et non posse magistri corpus usque ad eum diem sufficere, utpote quod inedia illud jam magna ex parte consumpsisset; vir ille inclytus eos consolans, jubebat esse bono animo: Ero enim, inquit, vobiscum, et diem festum Theophaniorum vobiscum celebrabo: recedam autem postridie. Ad effectum autem deductum fuit in quod dixerat, aperte divina in hoc ostensa virtute.

15 Cum ergo advenisset dies festus, qui expectabatur, desiderabant quidem discipuli hanc ultimam a magistro consequi mysterii divini celebrationem. Videbatur autem esse dubium, quonam modo mensam quidem in carcerem inferrent, aut laterent impiorum oculos, cum multi quidem tunc partim illic adessent, partim autem accederent; ille vero: Mensa quidem, inquit, erit vobis hoc meum pectus, non, ut arbitrator, Deo futura minus honesta ea quæ fit ex inanima materia. Templum autem sanctum vos mihi eritis, me omni ex parte circumdantes. Et sic hæc facta quidem sunt hoc modo. Jam enim, ut quod esset Sanctus in fine vitæ, et remissi erant custodes, Deo, ut ego quidem arbitrator, qui Martyrem honorare volebat, et suorum discipulorum non sustinebat inconsolabile videri desiderium, efficiente, ut citra impedimentum fierent ea, quæ erant proposita. Nam cum omnes eos Martyr fecisset in orbem consistere, ut inter se invicem alter prope alterum stantes, eum tuto comprehenderent, jussit suo pectori imponi signa divini sacrificii. Postquam autem hæc fecissent, et in caelum protinus sustulit obtutum, cum jam vix posset extollere, et preces peregit consuetas. Deinde cum divina plurima esset effatus, et sacro ritu omnia peregisset proposita, ipse et fuit particeps Sacramentorum, et transmisit ad eos qui aberant, ut ipse quoque ostendit in ultima ad eos epistola. Et hunc quidem diem cum eis transegit, sicut erat pollicitus.

15 Postridie autem cum venissent quidam ab Imperatore, visuri an adhuc viveret, (videbatur enim eis valde mirandum, quod vitam hucusque produxisset) postquam prope se stantes adspexit eos qui adveniant, cum se, quantum poterat extendisset, et ter dixisset, Sum Christianus; simul cum ultima emisit spiritum.

CAPUT V.

Ejus sepultura. Helenopolis civitas.

Sunt autem qui dicant, eum adhuc spirantem projectum fuisse in profundum maris. Maximianus enim admiratus ejus perpetuam ad finem usque constantiam, jussit iis qui in ejusmodi rebus inseruiunt, ipsum in mare jacere, cum magnum lapidem appenderent

EX
METAPHRASTE
AUCTORE
ANONYMO.

Prædicium
mortis.

Missam celebrat, pectore suo pro aru
usus.

Sancte moritur.

EX
METAPHRASE
AUCTORE
ANONYMO.
Corpus in ma-
re abjicitur.

dissent brachio ejus dextero, ut submersus nusquam appareret, et corpus ejus nullam assequeretur sepulturam, nec justa ei fierunt. Atque fuit quidem in profundo quatuordecim dies, nempe totidem, quot in carcere decertarat adversus varias corporis perperesiones. Quintodecimo autem delphinus in siccum eum hoc modo extulit: cum ejus dicipuli circa ripas et littora alius alibi versarentur, ut viderent, si quo modo possent eum e mari ejectum invenire, tempore autem hiberno id valde esset turbatum; diuturnum tempus effecit, ut plane desperarent se posse id invenire.

17 Interim vero adveniente quintodecimo die, Martyr in somnis apparens cuidam Glycerio, germano suo discipulo, qui tunc versabatur in regione adversa continenti Nicomediae, dicit ei: O tu, cum primum mane surrexeris, abi in hunc locum (ostendens locum littoris) te enim, inquit, conveniam, cum illic veneris. Ille autem, cum primum, ex magna evidentia et admiratione eorum quae ostensa fuerant, eum somnus dimisisset, et jam dies illucesceret, surgens, et quosdam alios ex piis secum assumens, cum eis venit in locum, qui fuerat ei significatus. In eo autem ingens delphinus ascendebat e mari, jam ex eo emergens: qui cum esset extensus super aquae superficiem, valde spirabat, et ad terram contendebat: eratque circa ipsum multa spuma, et murmur fluctuum, qui ab ipso scindebantur. Ferebat autem extensum mortuum, tamquam in lecto jacentem. Eratque spectaculum admirabile, super corpus adeo lubricum et rotundum quiete manens mortuus, et nec a suo pondere, neque a vi fluctuum devolutus ab eo, quod ipsum portabat, vehiculo. Cum autem delphinus fuisset prope continentem, fluctu sublime fuit sublatus, et terrae id apulit. Atque ille quidem statim expiravit.

18 Mortuus autem statim in arenam delatus, jacebat salvus et omni ex parte integer, nisi quod manus dextra, cui lapis fuerat appensus, non est corpus quoque reliquum consecuta. Et sunt quidam qui dicunt, eam nec postea quidem fuisse e mari emissam, sed mansisse in profundo, effectam id quod Deo visum fuit. Nonnulli autem dicunt, eam quoque non ita multo post fuisse redditam, cum effluxisset ei vinculum; eamque in terram delatam, cum sustulissent ii qui aderant, restitutam fuisse rursus in eandem compagem corporis. Hoc autem accidit manui, cum Deus, ut arbitrator, eam seorsum voluisset honorare, ut qui acceptum habuisset laborem, qui per eam fuit susceptus in corrigendis Scripturis. Nam in perpressionibus, quas pro Christo susceperat, in majori honore fuit ea quae erat gravior.

19 Non autem existimabit quisquam, corpus mortuum a delphino casu fuisse allatum, neque id factum fuisse forte fortuna. Nam quod revera quidem delphinus eum eo modo, qui dictus est, exportarit, videtur esse manifestissimum, cum multi, qui fuerunt illo tempore, hujus fecerint mentionem. Quin etiam ipse quoque scio ab ineunte aetate de illo cani solitum hoc, cujus est pars extrema:

In terram dorso portansque ex aequore delphin, Expiravit.

Non hac casu
facta, sed
certa Dei pro-
videntia.

Quod autem non factum sit casu, vel maxime quidem ostendit ipsa magnitudo miraculi quod factum est. Somnium quoque, quod propter id evenit. Quinetiam ea quoque quae postea sunt ostensa. E mari enim exportatum corpus, erat insigne miraculum iis qui contemplabantur, ut quod praeter id quod in mari acciderat, illaesus aliqui maneret, et nec mare tam multis diebus ei nocuisset, neque ulli pisces id tetigissent, neque ullus malus odor illinc emitteretur: adeo ut esset omni ex parte manifestum, fuisse divinum id quod factum est. Neque vero prius aliquo contemptu, neque quod eum non posset defendere, sivit Deus tanta pericula adire Martyrem: neque

nunc sine justissima causa sivit disjungi manum a reliquo corpore is qui in eo tam multa fecerat miracula. Sed et tunc universam ornatum ejus virtutem, vocavit ipsum ad societatem passionum sui Filii, optimam et justissimam ei praebens occasionem ad hoc ut ipsum quoque illius impertiret gloria. Et haec est mihi communis ratio in omnibus Martyribus, id est, testibus veritatis. Nunc autem volens confirmare, studium, quod contulit in sacras Scripturas, esse opus plurimi faciendum, manum, quae ei proprie in hac re inservit, voluit etiam propriis honorare passionibus; quomodo etiam, ut arbitrator, solent spectatores sertis redimere brachia athletarum. Quod si quis etiam crediderit eam in mari mansisse, ei licet et haec considerare, et quod Deus miraculis saepe etiam admiscet ea quae procedunt a natura, ut per illa quidem ostendatur virtus effectrix miraculorum, per haec autem fides quoque habeatur naturae. Sed haec quidem, et propter quam caussam unumquodque contingit, pure demum sciat is qui haec administrat. Quinetiam in singulis eorum, quae ab ipso admirabiliter fiunt et geruntur, didicerit quisque aliam quoque esse arcanam, et quae sit supra nos rationem, optimamque, et quae comprehendi non potest, administrationem, neque temere aliquid fieri aut fortuito.

20 Tunc ergo sic a delphino exportatum corpus, delatum est in arenam. Concurrentes autem discipuli, primum quidem, ut decebat, id salutabant, alius aliunde venientes, et osculabantur, et amplectebantur, unusquisque pro viribus, ob promptum et alacere animi studium. Deinde vero cum id sumpsissent, et propriis manibus extulissent, et ei justa omnia de more fecissent, in loco insigni deposuerunt. Et tunc quidem illi sepulchrum, quale poterunt, prout tempus urgebat, statuerunt. Postea autem, quae nobis salutarem Domini restituit Cracem, et magnum inter claros Imperatores genuit Constantinum, veneranda Helena, quando revertebatur Hierosolymis, locum honorans, et in eo a condidit civitatem, convocatis habitatoribus ex iis, quae circumcirca erant, regionibus, et effectis operis participibus, et validis eam cinxit mœnibus, et Martyri templum aedificavit maximum: quod nunc quoque insigne et pulchre extructum cernitur ab iis, qui et terra et mari ingrediuntur ac navigant; ad gloriam Domini nostri Jesu Christi, et eorum, qui propter ipsum decertaverunt: quoniam eum decet gloria in saecula saeculorum, Amen.

a Chronicon Alexandrinum anno Constantini xxi. Constantio Cæsare V, et Maximo Coss. qui erat Christi ccccxxvi, hæc habet: Constantinus instaurata Drepani urbe in Bithynia ad cultum S. Luciani Martyris, illam a matre sua Helenopolim nuncupavit, donata civitati in Martyris honorem quoque patet ante urbem prospectus, immunitate vectigalium ad hodiernum usque diem. Nota et Stephano Byzantio Drepane Bithynia ad sinum Astaceum civitas. Socrates lib. 4, cap. 13, Helena nomine Drepane Helenopolis vocatur, olim vicus, jam civitas ab Imperatore facta. Nicephorus Callistus lib. 8, cap. 34, de S. Helena agens. Perinde enim, inquit, atque pignus quoddam futura saecula habent, ad memoriam ejus sempiternam, in Bithynia unam, et in Palestina alteram urbem; quibus Imperator filius condidit memoriam illi tribuit immortalē. Admodum vero B. Helenam regione et situ alterius delectatam esse ferunt, quae antehac Drepanam nominata fuerat; cum quod ibi orta esset, tum quod Lucianum Martyrem post martyrium obitum eo a delphine deportari contigerit. Baronius tom. 3, ad an. cccvi, nu. 16, S. Helenam Britannam fuisse assertit, non Bithyniam.

DE EODEM SANCTO MARTYRE

Ex Rufino, et mss.

Lucianus vir moribus, continentia, et eruditione præcipuus, Antiochenus Presbyter, cum ad tribunal Judicis fuisset adductus; Cur, inquit ad eum Præses, vir rationabilis et prudens, sequeris sectam, cujus non potes reddere rationem? Aut si est aliqua, audiamus. Tum ille, data sibi facultate dicendi, hujusmodi orationem de fide nostra habuisse dicitur: In occulto non est, quod nos Christiani quem colimus, Deus unus est, per Christum nobis annuntiatus, et per

Sepelitur S.
Lucianus.

Helenopolis ad
ejus tumultum
condita.

S. Lucianus
coram Judice
reddidit fidei
nostræ ratio-
nem.

per Spiritum sanctum nostris cordibus inspiratus. Non enim, sicut vos putatis, humanæ alicujus persuasionis errore constringimur: nec indiscussa, ut alii, parentum traditione decipimur. Auctor nobis de Deo Deus est. Neque enim posset sublimis illa majestas sensibus humanæ mentis illabi, nisi vel spiritus sui virtute delata, vel verbi ac sapientiæ suæ interpretationibus indicata. Fateor, *a* erravimus etiam nos aliquando; et simulacra, quæ ipsi finximus, deos cæli ac terræ putabamus auctores: sed arguebat eos fragilis substantiæ suæ a nobis præstita consecratio; in quibus tantum venerationis inerat, quantum decoris manus contulisset artificum. Verum omnipotens Deus ille, quem non nostris manibus fictum, sed ejus nos decebat esse figmentum, errores miseratus humanos, Sapientiam suam misit in hunc mundum, carne vestitam; quæ nos doceret Deum, qui cælum fecisset et terram, non in manu factis, sed in æternis atque invisibilibus requirendum: vitæ etiam nobis leges ac disciplinæ præcepta constituit, servare parsimoniam, paupertate gaudere, mansuetudinem colere, studere paci, puritatem cordis amplecti, patientiam custodire. Sed et omnia hæc, quæ nunc adversum nos geritis, ventura nobis esse prædixit: educendos nos ad Reges, et ante tribunalia judicium statuendos, ac velut victimam jugulandos.

2 Inde est denique, quod et ipse, qui erat immortalis, utpote Verbum et Sapientia Dei, morti se præbuit, quo nobis in corpore *b* positus patientiæ præberet exemplum. Sed nec nos sua morte decepti: quibus post tertium diem resurrexit; non ut ista, quæ nunc falso conscribuntur, continent *c* Acta Pilati; sed innocens, immaculatus, et purus, ad hoc solum mortem suscepit, ut eam vinceret resurgendo. Quæ autem dico, non sunt in obscuro gesta loco, nec testibus indigent. Pars pæne mundi jam major huic veritati adstipulatur: urbes integræ: aut si in his aliquid suspectum videtur, contestatur de his etiam agrestis manus, ignara figmenti. Si minus adhuc creditur, adhibebo vobis etiam loci ipsius, in quo res gesta est, testimonium. Adstipulatur his ipse in Hierosolymis locus, et Golgothana rupes sub patibuli onere disrupta; antrum quoque illud, quod avulsis inferni januis corpus denuo reddidit animatum, quo purius inde ferretur ad cælum. Aut si vobis adhuc minus digna videntur hæc, quæ in terris substantiam gerunt, accipite etiam e cælo adstipulatorem fidelem. Solem vobis ipsum horum produco testem, qui cum hæc fieri per impios videret in terris, lumen suum meridie abscondit in cælo. Requirentis in Annalibus vestris, invenietis temporibus Pilati, Christo patiente, fugato sole interruptum tenebris diem. Quod si terræ, si cælo, si sanguini eorum, a quibus veritatem per tormenta perquiritis, fidem non accommodatis; quomodo meis verbis allegationibusque credetis?

3 Et cum pæne jam his verbis auditoribus suadere cœpisset, abripi jubetur in carcerem; ibique quasi absque tumultu populi necari. *d* Illico ministri iniquitatis mandatum perficientes Præsidis, *e* caput ejus amputaverunt venerandum; et victricem ejus animam Angeli cum gaudio in cælis deportaverunt: corpusque ejus Helenopoli Bithyniæ sepultum est, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, cujus regnum et imperium sine fine permanent in sæcula sæculorum, Amen. Hæc quoque urbs, in qua beatus Dei Martyr Lucianus est sepultus, Drepana est nuncupata prius, sed Dei servus Imperator Constantinus in honore ejusdem Christi Martyris eam restaurans in melius, Helenopolim nuncupavit, ex nomine matris ejus.

a Non de se id dicit, qui Christianis parentibus erat natus; sed de majoribus suis, qui et ipsi ante Christum natum Gentiles fuerint.
b Ms. S. Max. positus.
c Quæ illa fuissent Acta Pilati, idem Rufinus cap. 5, ante exposuerat, his verbis: Configuntur Acta quædam, velut apud Pilatum de Salvatore nostro habita, in quibus adversus Christum omnis

blasphemia conscribitur. Quæ Acta per omnes regni sui provincias prelo edicto mitti præcipit, et per urbes singulas, per vios, per agros etiam proponi; Præceptoribus quoque puerorum tradi jubet uti, pro his quæ ad meditandum vel ediscendum dicere solent, hæc tradant pueris memoriæ commendanda. Idem cap. 7. Quando pueris scholaris meditatio de Pilato et Jesu haberi contumeliæ nostræ gratia jussa est, et confictis referta blasphemis per totum diem decantari. Eorundem Actorum meminit Eusebius lib. 9, cap. 4 et 6, et lib. 1, cap. 9, ubi ea auctoritate Josephi Judæi confutat, cum hic anno Tiberii XII capisse Judæam administrare Pilatum scribat, illa vero Christi mortem Tiberio quartum Consule, sive Imperii ejus anno septimo consignent.

d Sequentia deerrant in Rufino, exlabant in vs. S. Maximini.
e Fame mortuum habet Metaphrastes, aut adhuc spirantem in mare abjectum: Nokterus et alii, ut in Præfat. nu. 2, diximus, dissectum in partes scribunt. Forlassis seminecem gladio percussurum impij.

DE EODEM

Ex Anthologio Græcorum.

a Religiosis parentibus natus Lucianus, ab illorum obitu omnes opes suas in egentes effudit, sacrarumque litterarum meditationi se totum addixit. Quapropter *b* multos cum Judæorum tum Græcorum ad Christi fidem pertraxit. Deserta dein domo paterna, et Nicomediam profectus, ibi vacillantes metu suppliciorum Christianos ac deficientes a fide ad certamen subeundum erexit et confirmavit. Cum autem pereleganter scriberet, reliquit Nicomediensi Ecclesiæ volumen *c* tribus paginarum columnis distinctum, quo totum veteris et novi sacrarum litterarum instrumenti testamentum complexus est. Tanto autem homine fuit sublimior, ut cum urbem perambularet, a quibus vellet, videretur; a quibus nollet, non cerneretur. Quæ de re doctus Maximianus, et veritus vultum illius coram inspicere, intra tapetem latens cum illo est collocutus. Cumque constantiam animi ejus invictam animadverteret, ad diuturnam ipsam famem damnavit. Multis ergo diebus cibo omni potuque destitutus, in carcere expiravit. Cujus corpus jussu Prætoris in mare est abjectum. Delphinus autem divina providentia exceptum humeris in terram exposuit.

a Suidas ait genere nobilem fuisse. Porro quæ hic referuntur ex Anthologio Græcorum, eadem ad verbum habentur in Menæis.
b Eadem habentur in Menologio, ut et de projectione Nicomediensi.
c Græce est, ἡ ἑξήκοντος ἑτάτος ἐπιστολῆς.

DE EODEM

Ex S. Joan. Chrysostomo.

*H*esternodie Dominus quidem noster aqua baptizatus est, hodie vero servus sanguine baptizatur: hesternodie cæli portæ sunt reseratae, hodie inferorum portæ sunt conculcatae. Neque miremini, quod baptismum martyrium nuncuparim: nam et hic Spiritus cum multa advolat ubertate, ac peccatorum abolitio et animæ fit purgatio quædam mirabilis ac stupenda: et quemadmodum ii, qui baptizantur aquis, ita qui martyrium patiuntur, proprio sanguine abluntur, quod utique et in isto evenit.

2 Verumenimvero antequam de cæde, operæ pretium est ut de diaboli versutia verba faciamus. Nam cum omne suppliciorum ac pœnarum genus ab eo derisum animadverteret; ac se neque accensa fornace, neque barathro effosso, neque rota parata, neque cum in equuleum sustulisset, neque cum in præcipitia projecisset, neque cum dentibus ferarum objecisset, Sancti philosophiam superare potuisse, aliud acerbius genus excogitavit: quærensque circumibat, ut supplicium inveniret, quod simul et acerbissimum esset et longissimum. Quoniam enim eæ quidem pœnæ quæ sunt intolerabiles, hoc afferunt, ut iis occissime liberemur; quæ vero longiores sunt, aliquid subtrahunt de dolore; reperire pœnam studuit, in qua utrumque simul esset, et diuturnitas, et intolerabilis doloris excessus; ut cum vehementia, tum longinquitas temporis animum ejus constantem de gradu dejiceret. Quid ergo facit?

EX VARIIS.

*a**b*

Multos convertit S. Lucianus.

c

Invisibilibus quibus vult.

Inedia enecat.

Festum S. Luciani postridie Theophaniorum.

Omnia tormenta ridet S. Lucianus.

Fame torquetur.

Fami

Nefellit confecta Acta Pilati.

Occiditur.

e

Sepelitur Helenopoli.

EX S. JOAN.
CHRYSOSTOMO

Fami Sanctum hunc exponit. At tu cum de fame audis, ne quod dictum est, oscitanter praeferas: est enim illa mors omnium acerbissima, quod illi, qui sunt experti, testantur. Absit enim ut id nos experiamur: recte namque sumus edocti, ut oremus, ne in tentationem intremus. Etenim tamquam visceribus intus insidens carnifex quispiam, omnia membra dilaniat, quovis igne feraque saevius corpus omni ex parte corrodit, et inexplicabilem dolorem inurit.

Thren. 4. 10.

3 Atque ut quanta res sit fames intelligas, etiam liberos saepenumero devorarunt matres, cum istius mali violentiam ferre non possent. Et hanc deplorans calamitatem Propheta dicebat: Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: quos pepere- rant, comedebant, et natorum infantium venter qui pepererat sepulchrum est factus, et naturam fames superavit: imo vero non naturam modo, sed etiam voluntatem. At hujus Sancti generositatem minime superavit. Quis ergo, cum haec audierit, non obstupescat? tametsi quid potentius est natura? quid contra voluntate mutabilius? Verum ut nihil esse Dei timore validius scias, vehementius aliquid esse natura voluntatem apparuit; eaque matres vicit, ac partus oblivisci coegit; hunc vero Sanctum supplantare non potuit: neque philosophiam supplicium vicit, neque fortitudinem poena superavit: sed quovis adamante firmior permanebat, seque bona spe oblectabat: materiam agonum se nactum gloriabatur, et ex certaminum oblata occasione consolabatur, praesertim

Eam superat.

2. Cor. 11. 27.

quotidie Paulum dicentem audiens: In fame et siti, in frigore et nuditate, et rursus: Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis caedimur. Noverat quippe, noverat probe illud: Non in solo pane vivet homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

1. Cor. 11.
Matth. 4. 4.

Idolothyta
proposita
aversatur.

4 Ut autem illum improbus daemon vidit tanta rei necessitate non frangi, graviorem cruciatum reddidit: etenim sumptis idolothytis, eisque mensa referta, ante conspectum ejus collocari eam curavit; ut facultas utendi ejus animi robur infringeret. Non enim adeo irretiri solemus cum res ea, quibus allicimur, non apparent, ac cum oculis observantur; quandoquidem et mulierum cupiditatem facilis quis superaverit, dum mulierem formosam non videt, quam si oculos continue in eam intendat. Verumtamen has quoque insidias Justus vicit, quodque fortitudinem ejus diabolus infracturum putabat, hoc eum magis ad certamina corroboravit et instruxit. Non enim tantum nihil ab idolothytorum aspectu laedebatur, sed ea magis idecirco aversabatur et oderat. Et quemadmodum erga inimicos afficimur, quos quia videmus, tanto eos odio majori prosequimur et aversamur; sic et ille tunc erga impuram illam victimam afficiebatur: eo magis detestabatur, ac refugiebat, quod videbat; et appositorum ciborum aspectus majus odium in eo atque aversionem excitabat: dumque intus magna illum voce sollicitaret fames, et apposita degustare juberet, tum Dei timor ejus manus reprimebat, et ut ipsius naturae oblivisceretur efficiebat: dumque pollutam et execrandam mensam intueretur, alterius mensae tremendae, ac spiritu redundantis recordabatur, adeoque inflammabatur, ut quavis sustinere ac pati statueret potius, quam impuros illos cibos degustare.

Trium puero-
rum exemplo
se animat.

5 Recordabatur et illius trium puerorum mensae, qui juvenes capti, omnique patrocinio destituti, in terra aliena ac barbara regione tantam philosophiam ostenderunt, ut ad hunc usque diem ipsorum fortitudo celebretur. Ac Judaei quidem dum suam etiam regionem obtinerent, impii in Deum fuerunt, et dum in templo versarentur, idola coluerunt; at illi juvenes in barbaricam terram translati, ubi idola omnisque impietatis occasiones erant, paternis ritibus perpetuo retinuerunt. Si ergo captivi, servi, ac juvenes, ante legem gratiae tantam philosophiam praese tulerunt,

inquit, qua tandem nos venia digni erimus, si ne ad eandem quidem cum illis virtutem pervenire valeamus? Haec itaque secum reputans diaboli malitiam irridebat, calliditatem contemnebat, neque ad quidquam eorum, quae cereretur, flectebatur.

6 Postquam autem se nihil proficere sceleratus ille vidit, ad tribunal eum rursus deducit, et tormentis adhibitis continuas interrogaciones adjungebat. Ille vero ad unamquamque interrogationem tantum respondebat: Christianus sum, ac dicente tortore: Quamnam ex patria ortus es? Christianus sum, ait. Quam artem profiteris? Christianus sum. Quibus parentibus natus es? Ille vero ad omnia dicebat, Christianus sum; hoc uno ac simplici verbo diaboli caput percitens, et illi continua sibi succedentia vulnera infligens. Quamquam ille quidem externis imbutus fuerat disciplinis: at probe noverat in ejusmodi certaminibus non esse opus eloquentia, sed fide; non dicendi facultate, sed anima Dei amore succensa. Unum, inquit, verbum ad omnem diaboli turmam in fugam vertendam sufficit. Ac videtur quidem iis qui rem accurate non examinant, minus conveniens esse responsio: sed si quis attentius eam consideret ex hac quoque sapientiam Martyris animadvertet. Qui enim, Christianus sum, dixit, et patriam, et genus, et artis professionem, et omnia declaravit. Quo tandem pacto? Ego dicam. Christianus urbem in terra non habet, sed Hierusalem quae sursum est. Illa enim inquit, quae sursum est Hierusalem, libera est: quae est mater nostra. Christiano terrena nulla artis professio, sed ad supernam conversationem vitae pertinet. Nostra enim, inquit, conversatio in caelis est. Christianus cognatos habet Sanctos omnes ac cives. Sumus enim, inquit, cives Sanctorum, et domestici Dei. Itaque uno verbo, et quis esset, et unde, et ex quibus, et quid agere soleret, exactissime docuit, et vitam cum hac voce finivit, abiitque salvum referens Christo depositum; ac posteris ex iis quae passus est, cohortationem reliquit, ut insistant, nihilque nisi peccatum et negationem tantum reformident.

Ad omnia
quae sita re-
spondet, Chri-
stianus sum.

Gal. 4. 26.

Phil. 3. 20.

Eph. 2. 19.

7 Haec itaque nos etiam cum noverimus, pacis tempore bellicis in rebus nos exerceamus: ut cum belli tempus advenerit, illustre nos quoque tropaeum erigamus. Famem contempsit ille, delicias et nos contemnamus, ac ventris tyrannidem evertamus: ut si tempus adveniat quod tantam fortitudinem a nobis repositat, in minoribus antea rebus exercitati praecleari in a scammate compareamus. Coram Principibus ille ac Regibus audacter locutus est; hoc nos faciamus nunc quoque: ac si in opulentorum et illustrium Paganorum conventibus consideremus, fidem cum fiducia profiteamur: irrideamus illorum errores. Quod si res quidem suas magnifice efferre, nostras autem deprimere aggrediantur, ne taceamus, neve leviter feramus: sed ipsorum turpitudinem detegentes, multa cum sapientia fiduciaque res omnes Christianorum laudibus evehamus: et quemadmodum Imperator in capite diadema, sic et nos ubique confessionem fidei circumferamus. Non enim illum adeo corona, ut nos fides ejusque confessio solet exornare: non verbis tantum, sed etiam rebus ipsis id agamus, et vitam confessione dignam in omnibus exhibeamus: ne dogmata operum improbitate dedecoremus, sed in omnibus Dominum nostrum glorificantes, cum hujus saeculi tum illius honore potiamur; quem nos omnes utinam consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, imperium, et honor, una cum sancto ac vivifico Spiritu, nunc et semper in saecula saeculorum. Amen.

Quomodo eum
imitari possi-
mus.

a

a Στάδιον, stadium est, sive locus certaminis. Ita S. Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 16. Adhuc populus spectat, adhuc athlete in scammate sunt, et tu jam otium petis? et S. Hieronym. ep. 61. ad Pammachium contra Joannem Hierosolym. cap. 3. De Scammate et loco certaminis egrediens.